

X. PHINTIA GELOORVM (*Licata*).

(Cf. C. I. Gr. 5473—5490b cum add. p. 1248.)

Gela vetusta, quam sitam fuisse prope Terranuova oppidum hodie fere convenit, postquam a Mamertinis c. a. a. Chr. 281, u. c. 473 eversa est, a Phintia Agrigentorum tyranno ita restituta videtur esse, ut cives transferrentur ad ostia fluvii Himerae ubi nunc est Licata, oppidum nuncuparetur Φιντιάς (Diodor. 22, 2, 2. c. 7, 1. 24, 1, 7. 8), Latine *Phintia* (Cicero Verr. 3, 83, 192 et Ptolemaeus 3, 4, 15 secundum cod. Vat. 191, corrupte *plintis* in itiner. Anton. p. 95), cives *Gelenses* (Cicero Verr. 3, 43, 103. 4, 33, 74). Obstat sane non tam quod Ptolemaeus iuxta ponit Phintiam et Gelam (Γέλας cod. Vat.), quam quod apud Plinium 3, 8, 94 inter civitates stipendiarias et Gelani recensentur et Phintienses; sed eo recensu in praefatione p. 713 docui alia quoque contineri magis ad vetustam rerum memoriam neque eam intemeratam referenda quam

ad rerum statum qui fuit aetate imperatoria. Decidunt rem aetatis posterioris tituli duo Gelensium vel Geloorum potius nomine inscripti eruderi ad Licatam (C. I. Gr. 5475 quemque edidit qui hanc quaestionem diligenter tractavit Iulius Schubring mus. Rhen. 28, 75). Nec dubium est eius nominis civitatem eam, quae Ciceronis aetate fuit, mansisse etiam sub imperatoribus. Nam Strabo ubi ait (6, 2, 6 p. 272): οὔτε γὰρ . . . ἔτι συνοικουμένην ἴσμεν . . . Γέλαν, de vetere potius quam de nova cogitavit; e contrario quod scribit paullo ante (6, 2, 5 p. 272): τῶν τῆς Σικελίας πλευρῶν ἢ μὲν ἀπὸ τοῦ Παχύνου πρὸς Λιλύβαιον διήκουσα ἐκλείπεται τελέως, ἔχγη τινὰ σώζουσα τῶν ἀρχαίων κατοικιῶν ut ad reliqua eius orae oppida ita ad Phintiam quoque recte referetur morientem eo tempore magis quam mortuam.

7191 tabula exilis et quadrangularis AVGVST. Alicatae (quae Gela est Fazello) aetate mea reperta FAZELLVS. 'Hoc anno 1575 Panormi in aedibus Alfonsi Roys baronis S. Stefani studiosissime asservatur' MARTINES. — Sine loco AVCTOR AVGVSTINI ('reperta apud Gelam' adscripsit Augustinus, fortasse ex Fazello) PINELL.; Messanae apud Alphonsum Roiscum GRVT.

CAESARIB  
SACRVM  
L · CAELIVS · M · F  
QVADRATVS  
5 D · S · P

Servavit is a quo pendent Fazellus dec. 1 l. 5 p. 123 ed. 1558 (inde omnino Caietanus isagoge p. 23); Ant. Augustinus f. 104'; Pinelliana cod. D 199 f. 56 (inde Grut. 238, 11 a Pinello); Gualterus n. 71 = 231. Martines ms. p. 435 titulum repetiit omnino ex Fazello. A prioribus Torremuzza IV, 23.

Vv. dividunt antiqui auctores. — 1 CAESARIBVS Gualt.

XI. AGRIGENTVM (*Girgenti*).

(Cf. C. I. Gr. 5491. 5492 cum add. p. 1248.)

Ἀγραγάς Graece, Latinis *Agragas* (sic certe libri optimi quique Melae 2, 7, 118 et Plinii passim, item Vergilii Aen. 3, 703 et Sili 14, 210) sive *Agrigentum* postquam a. u. c. 544 a Romanis expugnatum est civibus sub corona venditis (Liv. 26, 40), L. (vel T.) *Manlius praetor* (fortasse is qui a. 557 insulae praefuit secundum Liv. 32, 28) *ex senatus consulto de oppidis Siculorum (colonos) deduxit Agrigentum* (Cicero Verr. 1, 2, 50, 123). Remansisse tamen ex parte veteres cives, sive excepti sunt post expugnationem qui partibus Romanis favissent, sive postea partem Agrigentorum senatus in integrum restituit, inde efficitur, quod Scipio quidam (fortasse is cuius videtur esse n. 7459 praetor a. u. c. 561) in legibus, quas Agrigentinis dedit, cavet, *ne plures essent in senatu ex colonorum numero quam ex vetere Agrigentorum* (l. c.). Sed non recte inde olim collegi novo oppido Latii ius datum esse; immo colonis illis Siculis Agrigentorum eiectionum agri adsignati sunt iure rei publicae non mutato. Nam pariter atque Heraclia, quo item *colonos P. Rupilius deduxit legesque similes de cooptando senatu et de numero veterum ac novorum dedit* (Cicero l. c. § 125), Agrigentum postea quoque peregrini iuris urbs mansit, ubi negotiatores cives Romanos multos constituisse Cicero significat (Verr. 1, 2, 62, 153. 1, 4, 43, 93). Civitatem

Romanam Agrigentini impetrasse videntur una cum reliquis Siculis lege Iulia postuma (vide supra p. 713) atque rari nummi inscripti Latine *Agrigentum* nomine imperatoris non addito (Mionnet 1, 216, 70. 71. S. 1, 368, 89; *röm. Münzwesen* p. 664) per bella civilia cusi esse paullo ante quam qui habent caput Augusti inscripti praeterea nomine proconsulis (*L. Clodio Rufo procos.*) et duovirum. Duoviri igitur civitati tum praefuerunt. At nomina iis inscripta SALASSO·COMITIAE·SEX·RVFO·II·V (sic certe optimi quique auctores *Coins in the British museum, Sicily* p. 22 et *Salinas monete di Sicilia* p. 35 n. 342—349. tab. 13 n. 25—32) si significant duoviros appellatos esse Salassum Comitiae filium et Sextilium Rufum, pertinent ad elucidandam Latinitatem incipientem et quodammodo balbutientem Siciliae Augusto imperante. Status Agrigentorum vel hac aetate parum felici prae reliquis Siciliae populis commodus erat; Strabo postquam dixit de ora insulae meridionali deserta tota tam Agrigentum excipit quam portum eorum (6, 2, 5 p. 272: Ἀγραγάς . . . καὶ τὸ ἐπίγειον . . . ἔτι συμμένει) nominanturque apud Ptolemaeum ut in mediterraneis 3, 4, 14 Ἀγραγάς, ita in litore 3, 4, 6 ἐμπόριον Ἀγραγαντῖνον. Sulfurariarum id emporium ut hodie ita aetate imperatoria fuisse tegulae ostendunt suo loco editae.